



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Venatio Sacra. Sive Puer Amissus

Cabilliau, Baudouin

Lovany, 1642

Elegia XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70011)

Infelix hoc prole parens quæ nescia gaudî
 Quod ferat è partu, iussa dolore mori est !
 Sic lamenta trahit, fractâ sic voce querelas,
 Visa parens, Gnato cum moriente, mori.

ELEGIA XII.

1. *Incusat Abrahami leuitatem.*
2. *Narrat quomodo Angelus sibi olim persuaserit reditum.*
3. *Angelo imputat suas calamitates.*
4. *Optat semel morte vnâ defungi inter tot mortis causas.*

Sic Hebron, (a) patriosque focos eiuro, vel aras,
 Orba peregrinâ puluis vt abdar humo ?
 Aut vagor incertis, ceu cerua miserrîma, campis,
 Cerua Palæstinis obuia præda feris ?
 Nec bene quas nouit, premet ah ! miser aduena rupes ;
 Bersabeas rupes, Abrabiumue solum,
 Ergone adopto, nouis & do pia nomina sacris,
 Vt pietas sanctam fallat iniqua fidem ?
 Impia si pietas castos eludit alumnos ;
 Eccubi cura fides ? eccubi certa salus ?
 Mæsta sed in longas vbi verba retexo querelas,
 Opprimat inuisus lumina fessa sopor.
 Excipit ergo latus, somno vel mollior ipso,
 Apta toris, picto quæ viret herba solo.
 Hæc inter variâ dum ludit imagine Morpheus,
 Meque tenet miris discolor vmbra modis :
 Aliger interpret diuûm spem detulit astris.
 Sed nisi spem, cæcum spe duce signat iter.
 Ille mihi dixit, claraque refulsit in aurâ :
 Curre redux : redutem præmia certa manent.
 Vt quid enim malè fallis heram ? quid pignora Diuum
 Temnis, & incerto limite vota trahis ?

Stat thalami secunda fides, stat gratia partus.
 Præmia promissis vberiora tæres.
 Dixerat, & ramo (ramum nam dextra tenebat,
 Myrtus (b)erat) terigit pectora. fluxit odor.
 Sentires fluxisse sinu de cælite Diuum:
 Lenit enim longæ rædia dura via.
 Credidimus diuis, Diuos quis credere falsos
 Audeat? & diuos perfidus error habet?
 Inde mihi molli deinulcens lumina virgâ
 Excitat ab supero qui dedit orbe fidem:
 Subridensque aliquid limis promisit ocellis:
 Sit satis hoc: Abrahæ, cætera reddet amor.
 Et simul ad Dominam faciles me flectere gressus
 Imperat. Imperio cælite flecto gradum.
 Effugio poteram tot fallere tuta labores:
 Has sed in ærumnas triste retorfit iter.
 Impulit in fraudem dextræ vox nuncia fortis,
 Nos nimium vanis credula turba dolis.
 Quam præclara sacer reditûs fert gaudia præpes!
 Hei mihi pro votis qualia dona tuli!
 Hostibus omne meis tam felix imprecor omen:
 Quem mihi dat, Sarâin præmia ferre velim,
 Ut semel incertis capi decurrere campis,
 Cur non perpetuam mors dedit ire viam?
 Exsecror ad Dominos vestigia flexa pexates:
 Maluerim spinis implicuisse pedes.
 Utilius quis sponte fugit, neque suscipit impar,
 Et quod ferre piger triste laboris onus.
 Quid nisi bella domi, rixæ, labor, ira, tumultus,
 Imperiosa trucis cuncta tyrannis heræ?
 Et nunc ærumnis pressam tot vbi que clienem,
 Rursus in ærumnas altera noxa rapit.
 Omnia mors, diræ, luctus, nox, planctus, & angor,
 Et de morte graui nocte sepulta salus.
 Nec spes vlla domi, nec spes foris vlla superstes
 Vndeliber fugiam, quaque lubebit eam.
 Quos modo festiuo dederat puer ore lepores,
 Nunc fors in gemitus vertit acerba suos.

Quam

Quàm citò præcipitem deuoluit ad ima ruinam
 Quæ steterant summo, gloria prima, gradu
 Sic vidi Libani quæ surgit ad ardua Cætrum,
 Ad Borean imo decubuisse solo.
 Fasne, piæque pures sic, ah! scire parentem,
 Se miser in Gnato perdat ut ipse suo;
 Ceu pudeat genuisse (furor sic mutat amorem)
 Gloria quem primum gignere prima fuit?
 Ingenuo diues cui purpura floruit auro,
 Nunc lacet in panno paupere squalor habet.
 Vnius in miseræ seruæ caput auspice cælo,
 Tot tulit vlla dies damna, vel vlla feror?
 O vtinam teneris me mors rapuisset ab annis,
 Struxissetque meo grata sepulcra toro!
 Quæque breuis teneros attingit fascia lumbos,
 In laqueum, & lethi vincula verla foret!
 Aut saltem miseræ (quamuis sit triste leuamen)
 Contegeret cineres patria gleba meos!
 Quid moror, & nec dum grato caput abdo sepulcro,
 Ut pudor indecoris coniugis ossa tegar?
 Sol quid adhuc spectas innisa hæc nomina cælo?
 Nec cum matre puer funebris vmbra iacet?
 Crescite, crescite vos lacrymæ, simul ire medullis
 Omnibus, vber eat vna doloris Agar.
 Ah! mera si nubes oculus, sit tristis & imber:
 Cur hilarem tristi spectet in imbre diem?

- (a) *Apud Hebron urbem habitauit Abraham.*
 (b) *Myrti ramus in manu, tollit lassitudinem.*
 Plin.

ELEGIA